

**NOTIZIARIO DELLA CONFERENZA EPISCOPALE ITALIANA  
a cura della Segreteria Generale**

NUMERO 10

15 OTTOBRE 1972

**Lettera di Paolo VI  
per il Congresso Eucaristico Nazionale**

---

Venerabili Fratri Nostro  
ANTONIO S.R.E. CARDINALI POMA  
Archiepiscopo Bononiensi

PAULUS PP. VI  
Venerabilis Frater Noster,  
salutem et Apostolicam Benedictionem

Utinum, urbs nobilis, proximo mense Septembri singulari quadam luce fulgebit, siquidem sedes erit XVIII Conventus Eucharistici ex Italica Natione. Quemadmodum praevideri licet, Praesules, sacerdotes, religiosi, laici frequentes eo confluent, ut ineffabile mysterium Corporis et Sanguinis Christi publica fidei professione testificentur, piis celebrent laudibus, animis altius imprimant.

Ut vero in tanti momenti celebritate sit, qui Nostram veluti gerat personam, Te, Venerabilis Frater Noster, qui Bononiensis Ecclesiae Archiepiscopum simulque Coetus Episcopalis Italici Praesidem agis, Missum Extraordinarium Nostrum facimus, constituimus, renuntiamus munus Tibi mandantes sacris congressionibus Nostro nomine praesi-

dendi. Quoniam pietatem studiumque pastorale Tuum perspectum habemus, non dubitamus, quin eiusmodi officium frugifere salubriterque sis exsecuturus.

Argumentum autem, isti Conventui propositum ad tractandum, opportune in haec tempora cadit; vertitur enim in considerata Eucharistia quaetenus communitatem respicit cuiuslibet loci. Cum enim divinum hoc Sacramentum sit quasi centrum et cor vitae Ecclesiae, quippe quo auctor ipse gratiae vere contineatur, communitas circa id ipsum congregetur oportet et vires inde spirituales potissimum hauriat.

Quod quidem mysterium Eucharisticum in tota sua amplitudine est attendendum, id est prout est sacrificium atque convivium et quatenus sacris Speciebus, « quae post Missam ad extensionem gratiae Sacrificii asservantur », cultus latriae tribuitur (*Instructio de cultu mysterii eucharistici*, 25 Maii 1967; A.A.S., LIX, 1967, p. 543). Non est igitur dubium, quin ex hoc uberrimo fonte vita spiritualis non solum unius cuiusvis, sed et ipsius communitatis vigorem novum eumque eximium possit accipere ac penitus transformari: « Sic enim et christiferi efficimur distributo in membra nostra corpore eius (Christi) et sanguine » (S. CYRILL. HIEROSOLYM., *Catech. mystag.*, 4,3; PG 33, 1100). Communitas autem eiusmodi non sibimet vivit, sed in alia membra universamque Ecclesiam arcana illa virium spiritualium communionem salutariter influit.

Eucharistia enim, cum ex infinito amore Salvatoris, qui « in finem dilexit » suos (Io. 13,1), manaverit, est caritatis unitatisque mirum in modum effectrix. De eodem hoc « sacramento mensae dominicae » S. Augustinus ita egregie monet: « Si bene accepistis, vos estis quod accepistis. Apostolus enim dicit: Unus panis, unum corpus multi sumus (I Cor. 10,17)... Commendatur vobis in isto pane quomodo unitatem amare debeatis » (*Serm.* 227; PL 38, 1099-1100).

In unaquaque ergo communitate christiana quasi praesens sit et splendeat ipsa Ecclesia una, sancta, catholica. Maxime in oratione et actione eucharistica eadem communitas fines suos egrediatur, horum verborum S. Augustini, quem supra diximus, memor: « Extende caritatem per totum orbem, si vis Christum amare, quia membra Christi per orbem iacent » (*In Ep. Ioann. ad Parth.*, 10,5; PL 35, 2060).

Rerum Romanarum quidam florentissimus auctor haec recte affirmavit: « Concordia parvae res crescunt, discordia maximae dilabuntur » (SALLUST., *Bell. Iug.*, 10). Quanto efficacius, quam alii homines, fideles, si hac caelesti alimonia nutriantur et ex ea vivant, conferre poterunt ad animorum consensionem, ad pacificum civium convictum, ad veri nominis profectum! Ii ergo, qui christiano nomine censentur, agnoscant officia, quibus devinciantur, si hoc pascantur « sacramento unitatis ».

Qui quidem fructus optatissimi ut ex Eucharistico Conventu Utinensi percipiantur, Nos Deum enixis precibus rogamus.

Haec habuimus, quae ad Te, Venerabilis Frater Noster, animo amanti atque sollicito scriberemus. Tibi denique Benedictionem Apostolicam, caelestis gratiae et auxilii auspicem, libentissime impertimus; quam pertinere volumus etiam ad Purpuratus Ecclesiae Patres, ad sacrorum Antistites, nominatim ad Venerabiles Fratres Josephum Zaffonato, Utinensem Archiepiscopum, et Aemilium Pizzoni, eius Auxiliarem Episcopum et Vicarium Generalem, ad Magistratus, ad clerum et ad fideles universos, qui eidem Conventui intererunt.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XV mensis Augusti, anno MCMLXXII, Pontificatus Nostri decimo.

PAULUS PP. VI